Ipse qui illam amabat fidicinam tantummodo
Satis inquit scita. noster vero. D. iam scio
Amare coepit. G. scin quam. quo evadat vide.
Postridie ad anum recta pergit. obsecrat.
Ut sibi eius faciat copiam; illa enim se negat
Neque eum aequum ait facere; illam hinc civem esse
Atticam.
Bonam. bonis prognatam. si uxorem velit
Lege id licere facere. sin aliter negat.
Noster quid ageret nescire. et illam ducere.
Cupiebat. et metuebat absentem patrem.
D. non si redisset ei pater veniam daret.
G. Ille indotatam virginem atque ignobilem.
Daret illi. numquam faceret. D. quid fit denique.
G. quid fiat. est parasitus quidam phormio
Homo confidens. qui illum di omnes perduint.
D. quid is fecit. G. hoc consilium quod dicam dedit.
Lex est ut orbae qui sunt genere proximi
His nubant. et illos ducere eadem haec lex iubet.
Ego te cognatum dicam. et tibi scribam dicam.
Paternum amicum me adsimulabo virginis
Ad iudices veniemus qui fuerit pater
Quae mater. unde cognata tibi sit. omnia haec
Confingam. quod erit mihi bonum atque commodum.
Cum tu horum nihil refelles. vincam scilicet.
Pater aderit. mihi paratae lites. quid mea.
Illa quidem nostra erit. D. iocularem audaciam
G. persuasum homini. factum est. ventum. vincimur
duxit.
D. quid narras. G. hoc quod audis.
O Geta. quid te futurum est. G. nescio hercle.
Unum hoc scio. quod fors feret. feremus aequo
animo. D. placet. hem istuc viri est officium.

Fragm. 42

Fragm. 42,1 (Vardeo) Fulda LB

Kappen 42, 2 (Vorder.) Fulda LB.

254

ubi est antipho· ph· Salvum te advenire.
D· credo· hoc mihi responde· ph· valet· hic est·
sed satin omnia ex sententia· D· vellem quidem omnia·
ph· Quid istuc est· D· Rogitas phedria·
Bonas me absente hic fecisti nuptias·
ph· eho an id suscenses illi· G· o artificem probum
D· ego ne illi non suscenseam· ipsum gestio
Dari mihi in conspectum· nunc sua culpa ut sciat
Lene patre illum factum esse acerrimum
ph· At qui nihil fecit patrue· quod suscenseas·
D· Ecce autem similia omnia· omnes congruunt
Vnum cognoris· omnis noris· ph· haud ita est
D· hic in noxia est· ille ad defendendam causam adest·
Cum illest· hic praesto est· tradunt operas mutuas
G· probe horum facta inprudens depinxit senex
D· Nam ni haec ita essent· cum illo haud stares phedria
ph· Si est patrue culpa ut antipho in se admiserit
Ex qua re minus rei foret aut famae temperans·
Non causam dico quin quod meritus sit ferat·
Sed si quis forte malitia fretus sua
Insidias nostrae fecit adulescentiae·
Ac vicit· nostran culpa east· an iudicum·
Qui saepe propter invidiam adimunt diviti·
G· Ni nossem causam crederem vera hunc loqui
D· An [illegible] quisquam iudex est qui possit noscere
Tua [illegible] ubi tute verbum non respondeas·
Ita ut [illegible] ille fecit· ph· functus adulescentu-
liest
Officium liberalis· postquam ad iudices
Ventum est· non potuit cogitata proloqui·
Ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor
G· laudo hunc· sed cesso adire quam primum senem·
Ere salve· salvum te advenisse gaudeo· D· oh

101/70 MK 40

Fragm. 42, 2 (Rücks.) Fulda LB.

287 Bone custos salve columen vero familiae
Cui commendavi filium hinc abiens meum
G. Iam dudum te omnes nos accusare audio
Inmerito · et me horunc omnium inmeritissimo.
N[am] quid me in hac re facere voluisti tibi
Servum hominem causam orare leges non sinunt;
Neque testimonii dictio est. D. Mitto omnia
Do istuc inprudens timuit adulescens sino
Tu servus · verum si cognata est maxime
Non fuit necesse habere · sed id quod lex iubet
Dotem daretis quaereret alium virum
Qua ratione inopem potius ducebat domum
G. Non ratio · verum argentum deerat. D. Sumeret
Alicunde · G. Alicunde · nihil est dictu facilius
D. Postremo si nullo alio pacto fenore
[illegible]
D. [illegible] pulchre si quidem [illegible]
te vivo D. non non sic futurum est non potest
[illegible] illam cum illo ut patiar nuptam unum diem
Nihil suave meritum est hominem commonstrarier
Mi istum volo aut ubi habitet demonstrarier
G. Nempe phormionem D. istum patronum mulieris
G. Iam faxo hic aderit. D. Antipho ubi nunc est
ph. foris
D. Abi phaedria eum require atque huc adduce
ph. Eo recta via quidem illuc
G. Nempe ad pamphilam
D. At ego deos penates hinc salutatum domum
Devortar inde ibo ad forum atque aliquot mihi
amicos
Advocabo ad hanc rem qui adsient
Ut ne imparatus sim si adveniat phormio

Fragm. 42